Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:

MULLER, MAXIMILIAN

TITLE:

NVM HORATII SATIRARVM LIBER ...

PLACE:

IENAE

DATE:

1899

Master Negative #

93-81283-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Müller, Maximilian, 1875-
Nvm Horatii Satirarvm liber prior retractatvs sit; dissertatio philologica qvam scripsit ... Maximilianvs Mveller ... Ienae, typis Hermanni Pohle, 1899.
47 p. 22½ cm.

Thesis, Jena, 1898.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 10/25/93 INITIALS M.DC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202




Centimeter



Inches



Müller
Horatii Satirarum.

NVM HORATII SATIRARVM LIBER PRIOR RETRACTATVS SIT

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

MAXIMILIANVS MVELLER

SERVESTANVS

IENAE

TYPIS HERMANNI POHLE

MDCCCXCIX

Genehmigt von der philosophischen Facultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Geh. Hofrat Professor Dr. Goetz.

Jena, den 3. Dezember 1898.

Geh. Hofrat Professor Dr. Liebmann,
d. Z. Decan.

Praefatio.

§ 1. De temporibus, quibus Horatii opera edita esse videantur, multae a multis viris doctis institutae sunt quaestiones. Sed ut omnes de definiendo tempore, quo carmina sua Horatius evulgaverit, dubitationes sublatae sint, tantum abest, ut diversas in partes discedant etiam nunc ea de re viri docti.

Exordium scribendi cepit Horatius a satiris et epodis, etsi neutiquam credibile est eum hoc tempore poesin lyricam, qua postea excellebat, plane neglexisse et uno eodemque tempore eandem incudem semper tutudisse [1]). Sed quamquam inter omnes fere viros doctos, qui in Horatii operibus interpretandis versati sunt, prima poemata fuisse satiras convenit, tamen quo quaeque satira anno scripta et edita sit mirum est quantopere in diversum sententiae tendant. De qua quidem re disputationes doctorum virorum toto caelo ut aiunt distant, ut eorum molestum sit dinumerare commenta.

Postquam vetustiores Horatii editores, imprimis Tanaquil Faber, Rodellius, Dacerius, Ioh. Massonus [2])

---

1) Sententiam Bentleii, qui statuit Horatium uno eodemque tempore uni tantum poematum generi vacasse et per singula annorum spatia modo satiras, modo epodos, modo epistulas, modo carmina lyrica composuisse, refutavit subtili disputatione Car. Kirchnerus in quaestionibus Horatianis p. 4–7.

2) Vita Horatii, ordine chronologica delineata ut sit vice commentarii historici critici. Lugd. 1708.

suis quisque usi rationibus nec de omnibus ac singulis inter se consentientes poematum tempora tractaverunt, primus Bentleius egregia qua polluit doctrina et iudicii subtilitate quaestionem de satiris in praefatione editionis Horatianae (Cantabrig. a. 1711) ita instituit, ut non singulas satiras, sed singulos libros singillatim in lucem prodiisse diceret et priorem librum annis 715—717, posteriorem intervallo trium ferme annorum interiecto annis 720—722 attribueret. Haec Bentleii sententia diu ab omnibus fere interpretibus magna eius nominis auctoritate commotis pro vera accepta est, nisi quod nonnulli viri, in quorum numero imprimis Sanadonus[1]), vir critica subtilitate parum praeditus, nominandus est, singularum satirarum tempora hic illic aliter atque Bentleius constituerunt. Hoc demum saeculo Bentleii rationes, cum alii viri docti labefactare et abicere coepissent, maxime Kirchnerus in quaestionibus Horatianis[2]) improbavit, qui, cum satiras non intra septem, sed intra tredecim annorum (713—726) terminos constituisset, libros non separatim aut variis temporibus, sed secundo libro anno 726 ad finem perducto hoc ipso anno simul emissos esse censuit. Post Kirchnerum autem disquisitionem diligentissimam et subtilissimam Frankius de eadem re habuit, qui omnes fere eruditos ad suas partes pertraxit. Is enim in libro illo praestantissimo, qui inscribitur „fasti Horatiani“[3]), reiecta Kirchneri sententia ostendit singillatim et diverso tempore libros emisisse poetam atque sermonum librum priorem anno u. 719 (35 a. Chr.) vel sequenti, posteriorem anno u. 724 (30 a. Chr.) publici iuris factum esse docuit. Post Frankium multi alii viri docti de satirarum temporibus sententias protulerunt. De qua re disputare fusius nunc non libet; sufficiet afferre opinionem W. Teuffelii[4]), qui eadem quaestione denuo instituta in Frankii

1) Ed. Horat. Paris. 1728 II vol. et 1756 VIII vol.

2) Quaestiones Horatianae, Numburgi 1834.

3) Fasti Horatiani. scripsit Carolus Franke. Accedit epistola Caroli Lachmanni. Berol. 1839.

4) W. Teuffel, Mus. Rhen. tom. IV a. 1846 p. 93—119, 208—241.

sententiam abiit et satirarum librum priorem intra annos 41—35, secundum intra annos 33—27 inclusit.

Equidem accedo eorum virorum sententiae, qui poetam censuerunt librum priorem anno 35, secundum anno 30 in publicum emisisse.

Sed aliud est quaerere, quo tempore singulae satirae, aliud, quando omnes satirae coniunctae publici iuris factae sint. Non enim dubium videtur, quin primum quidem singulae satirae non multo post originem seorsum in lucem prodierint atque cum amicis communicatae, postea autem in duorum librorum corpora collectae atque evulgatae sint. Quas res non bene distinxit Bentleius, cum contenderet Horatium non singulas eclogas, sed integros libellos simul in lucem edidisse. Hanc Bentleii opinionem re ipsa redargui videmus. Singulas enim satiras, antequam in duos libros redigerentur, in hominum manus pervenisse mea quidem sententia iam ex hac re apparet, quod nonnulli versus quarundam satirarum ad alias eiusdem libri satiras spectant et — ut exemplum afferam — satira tota decima iudicium confirmat, quod Horatius satira quarta de Lucilio prompserat.

Quod deinde ad illam quaestionem attinet, utrum satirarum liber prior separatim an cum secundo simul editus sit, sententiam Kirchneri, qui dixit esse satiras primi libri, quae post alias secundi libri essent scriptae, esse deinde libri secundi, quae ante nonnullas libri primi satiras essent compositae, fundamento carere pro comperto habemus. Nam et e temporibus singularum satirarum et e magna utriusque libri differentia diversaque satirarum indole apparet omnes prioris voluminis sermones priori tempori attribuendos esse quam qui in altero libro leguntur[1]). Etenim omnes certe consentiunt maiorem quandam in libro secundo reperiri lenitatem et urbanitatem quam in libro primo expressa sit.

Magni etiam momenti ad tempora satirarum recte definienda illa est quaestio, quam nuper Lucianus Muellerus pro-

1) Ceterum sententiam eorum, qui utrumque librum uno tempore ab Horatio emissum esse censent, iam hoc uno argumento refutari putem, quod primo libro epilogus, alteri prologus datus est.

posuit, qui priorem librum, postquam anno 35 a. Chr. n. separatim in lucem prodierit, deinde nonnullis locis retractatis et expolitis simul cum secundo libro anno 30 iterum editum esse statuit. Hanc sententiam, quam certis rationibus L. Muellerus sese ad liquidum perduxisse putat, nunc, quoniam nemo adhuc, quod sciam, exstitit, qui aut defendere aut refellere conatus sit, sub severiorem censuram sum vocaturus, ut ipse videam, utrum satis firmis et probe expensis argumentis confirmetur an prorsus reicienda sit.

I.

§ 2. Primum argumentum, quo L. Muellerus ad sententiam fulciendam innititur, pertinet ad tertiam prioris libri satiram. Quam censet non multo post Tigellii mortem esse compositam anno 40 vel 39, quo nulla inter Horatium ac Maecenatem consuetudo intercesserit, postea autem, cum poeta in eius familiaritatem receptus esset, iterum editam versu 63, in quo Maecenatis mentio fiat, adiecto [1]). In hoc enim versu offendit Muellerus, quia poeta versibus 55—95 diversa amicorum vitia nusquam certis exemplis comprobat, neque urbanitati Maecenatis putat aptam esse acrem reprehensionem, quae insit in verbis: „molestus! communi sensu plane caret“ neque illam non minus gravem animadversionem: „Eheu, quam temere in nosmet legem sancimus iniquam“.

Ut Muelleri sententiam diiudicemus, utrum accipienda an reicienda sit, necesse est duas quaestiones instituere, primum, quando exempto versu 63 tota satira emissa videatur, deinde quo tempore hic versus compositus esse possit. Qua in quaestione si invenerimus hunc versum ad posteriora tempora referendum esse, apparebit Horatium hanc satiram post primam editionem iterum lima persecutum esse.

§ 3. Ac primum quod ad illam quaestionem attinet, quando satira tertia composita sit, et secundam satiram et tertiam exordium a Tigellii moribus describendis sumere statim apparet, ita tamen, ut secundam ante tertiam factam

1) Hitzigium huius sententiae auctorem esse adnotat L. Muellerus: locum invenire non potui.

esse apertum sit. Quod ut ita statuamus efficit temporis praesentis usus in exordio satirae secundae et praeteriti in tertia. Secunda enim sic incipit:

„Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli.“

Nimirum istud „est“ certe nullo pacto potuit de homine dudum mortuo dici, ut plane necesse sit hos versus tum scriptos esse, cum Tigellius modo defunctus esset. Tertiam vero satiram poeta sic incohat:

„Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut numquam inducant animum cantare rogati,
Iniussi numquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc“.

Hoc vero nisi de Tigellio dudum mortuo non dictum esse posse nemo est quin videat. Unde non est dubium, quin satira secunda ante satiram tertiam composita sit.

Quo vero anno secunda satira conscripta sit nunc quaeramus: qua quaestione absoluta ad tertiae aetatem determinandam utendum erit.

Atque hic primum dicendum est inter viros doctos, quo tempore satira scripta sit, haudquaquam convenire, cum indicium, quo alii tamquam firmissimo fundamento totius quaestionis usi sunt, alii plane reiecerint. Agitur enim de satirae secundae versu 25 „Malthinus tunicis demissis ambulat“. Maecenatem hic sub Malthini persona latere scholiastae memoriae prodiderunt. Schol. Cruq.: „Malthini nomine quidam Maecenatem significari suspicantur. A re autem ipsa fictum est nomen: μαλθακὸς et μαλακὸς idem est, quod mollis et delicatus. Porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles et delicatos haberi volunt.“ Porph.: „Sub Malthini nomine quidam Maecenatem suspicantur significari, a re tamen finxit: μαλθακὸς enim quasi μαλακὸς dicitur. Porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles ac delicatos haberi volunt.“ Pseudacro: „Tunicis demissis, ut sibi honestus videatur. Composuit autem nomen quasi a μαλθακὸς Malthinus. Maecenatem tangit: varicosus enim fuit, delicatior et solutus.“

Has scholiastarum annotationes illustravit Bentleius acute observans ficta illa nomina non solum numero, sed etiam syllabarum quantitate cum veris convenire, ita ut sine versus dispendio facile pro ficto nomine verum substitui posset. Atque revera plurima exempla docent vera et ficta nomina totidem syllabas et eandem mensuram habere. Exempli causa sub puellarum ex more poetarum illius aevi fictis nominibus veras puellas velut sub Lesbiae apud Catullum Clodiam, sub Deliae apud Tibullum Planiam, sub Cynthiae apud Propertium Hostiam latere compertissimum est. Ceterum plura personarum nomina in veterum poetarum carminibus ficticia fuisse constat, cum poetae eos homines quos perstringebant poenae invidiaeque metu commoti vel alia quacumque de causa celare maluerint. Qui igitur Maecenatem sub hoc ficto nomine carpi censent, suspicantur poetam hic Maecenatem proprio nomine appellare noluisse, quod potens erat et apud Octavianum plurimum valebat.

Atque horum sententia confirmari videtur collatis nonnullis veterum locis, quibus apparet Maecenatem mollissimum et delicatissimum hominem fuisse. Similibus enim coloribus, quibus Horatius Malthinum depingit, Maecenatis vitam et mores describit Seneca ep. 114, 4. Is enim, postquam dixit: „Quomodo Maecenas vixerit, notius est quam ut narrari nunc debeat: quomodo ambulaverit, quam delicatus fuerit, quam cupierit videri, quam vitia sua latere noluerit. Quid ergo? non oratio eius aeque soluta est quam ipse discinctus?" pergit: „Non statim haec cum legeris, hoc tibi occurrit hunc esse, qui solutis tunicis in urbe semper incesserit?"

Sed quomodo potuit Horatius tam imprudenter et ingrate agere, ut amicum Maecenatem vellicaret? Nonne incredibile videtur Horatium Maecenati meritam debitamque gratiam non modo non rettulisse, sed etiam eius beneficiorum tam immemorem fuisse, ut Maecenatem, amicum et fautorem, publicae irrisioni exponeret?

Unde profecti concluserunt multi Horatium, cum Maecenatem vituperaret, nondum eius amicum fuisse et hanc satiram, antequam inter Maecenatis familiares receptus esset, anno 714 vel 715 scripsisse. Horatium enim, qui in pugna Philippensi

sub finem anni 714 commissa Bruti partes secutus esset, ex pugna modo reducem belli civilis calamitatem pertaesum atque iuvenili impetu plenum odium in adversariae partis sectatores gessisse ideoque Maecenatem, triumviri potentis amicum, sale suo perfricuisse. Maiorum enim et simplicitatis memorem et severitatis studiosum Horatium vehementer offendisse in insolito Maecenatis incessu cultuque muliebri.

Sed quamquam haec sententia multum probabilitatis prae se ferre videtur, tamen haud paucis difficultatibus obstructa est. Itaque addubitaverunt viri doctissimi, qui scurrile et ab Horatii Maecenatisque necessitudine alienissimum putabant hunc sub ficto nomine irrideri. Antesignanus horum est Madvigius, qui maxima cum diligentia de hoc versu disputavit. Hic enim sciens Horatium multis scholiastarum commentis obrutum esse etiam hoc loco scholiastis fidem abrogandam esse censet. Atque revera permulta exempla praesto sunt, quae docent a scholiastis personas Horatianas plane ignotas cum hominibus aliunde notis confusas esse. Huc accedit, quod omnino perpauca nomina ficta in satiris Horatianis sunt atque multa, quae olim pro nominibus fictis et a veteribus scholiastis et a recentibus interpretibus habebantur, velut Villius (sat. I. 2, 64) et Longarenus (sat. I. 2, 67) pro Annio vel Milone, vera hominum obscurorum nomina esse demonstraverunt viri docti [1]).

Atque ut concedamus hoc versu Maecenatem ab Horatio vellicatum et satiram tempore scriptam esse, quo Horatius nondum in Maecenatis amicorum numerum adscriptus erat, tamen miramur Horatium, cum totum librum ederet Maecenatique dedicaret, hunc versum, quo mentionem Maecenatis non honorificam iniecisset, non mutasse aut oblitterasse. Nam hoc mihi constat, si poeta hoc versu Maecenati iniuriam fecerat, eam non minus gravem fuisse, cum satirae in librum collectae et evulgatae sunt, quam cum haec una satira seorsum in lucem prodiit.

1) Cfr. Madvig, Opusc. acad. I: Epimetrum de Horatii secundae satirae libri primi versu 25. Szelinski, De nominibus personarum apud poetas satiricos Romanos, diss. Regimont. 1862. Jaffe, De personis Horatianis, diss. Hal. 1885.

Quod autem Frankius suspicatur ipsum Maecenatis nomen tum, cum componeretur satira, in versu 25 scriptum, postea autem, cum poeta ei iam innotuisset et beneficio obstrictus esset, Malthini nomine callide ficto commutatum esse, haec sententia mihi a probabilitate quam maxime abhorrere videtur. Si Maecenatis nomen illo tempore pro mollissimo quoque homine ponebatur, haec mutatio nihil valebat, quod, sive Maecenas recto sive ficto nomine carpebatur, nemo nesciebat, quem poeta spectaret.

Ex hoc igitur versu de satirae tempore nihil certi colligi posse apparet. Omisso vero hoc admodum incerto et dubio indicio quamquam secunda satira ipsa certis aetatis notis caret, tamen alia adiumenta ad tempora eruenda praesto sunt. Quo enim tempore poeta carmen aliquod exarasse videatur, nequaquam ex aetatis indiciis disertis solis colligendum est, sed etiam ex natura indoleque totius carminis.

Atque neminem puto qui in Horatio legendo versatus est praeteribit, totam satiram secundam ingenium iuvenile sapere. Acerbam mordacitatem, qua in hac satira poeta in unumquemque invehitur, in quavis alia satira frustra quaesiveris, ut fortasse ob hanc causam veri non dissimile sit hanc satiram primam ex omnibus scriptam esse. Haec enim vehementia sententiarum et gravis in accusandis vellicandisque vitiis amaritudo ex pristinorum temporum miseria contracta mox a poeta abiecta est et lenitati reprehensionis et comi urbanitati cessit. Hac vero secunda satira Horatius tam mordaciter et petulanter pravissima flagitia, adulteria libidinesque venerias, perstringit, ut Lucilium, non elegantem et urbanum poetam Horatium, aequalium vitia exagitare putemus. Tantum abest, ut Horatius hic more suo lepide cavilletur, ut ne primoribus quidem parcat et in ipsius Caesaris Octaviani amicos et asseclas, velut in Sallustium, Tigellium, Cupiennium Libonem, acerbe invehatur. Itaque non multum a veritate aberrabimus, si Horatium e bello Philippensi Romam modo reversum et iuvenili ardore impulsum hanc satiram scripsisse statuemus. Quo tempore Horatius alienus fuit a Caesarianis neque quidquam curavit, ut horum in re publica principum virorum favorem colligeret.

His si adiunxeris, quod poeta epist. II 2, 49 sese post

pugnam Philippensem in Italiam reducem paupertate adductum versus facere coepisse fatetur his verbis:

„Unde simul primum me demisere Philippi,
Decisis humilem pennis inopemque paterni
Et laris et fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem . . . . ."

et consideraveris primum Horatium ad satiricos sermones animum appulisse, facile concludes hanc satiram non multo postquam poeta ex pugna Philippensi Romam redierit compositam esse.

Atque maiorem quandam probabilitatem haec coniectura inde assequitur, quod poeta in hac satira nullam omnino Maecenatis mentionem facit. Quamquam enim haud ignoro, haec 'argumenta ex silentio' quae vocantur, plerumque admodum infirma esse, tamen id hoc loco aliquid valere puto, quod Horatius temporibus, quibus Maecenatis familiaritate utebatur, nusquam hoc modo in eos debacchatur, qui cum Maecenate stabant, sed ubique intra verecundiae fines se continet atque faceto sermone utitur.

Cui suspicioni etiam hoc favet, quod secunda satira non solum ante tertiam, sed etiam ante quartam et decimam scripta est. Secundam enim prius quam quartam satiram compositam esse luculentissime apparet ex eo, quod verba eius, quae in versu 27 exstant, „pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum" in quarta satira (v. 91 sqq.) consulto repetuntur. Decimam autem satiram, quae iudicio in quarta prolato patrocinatur, post secundam litteris consignatam esse ex hac ipsa re elucet. Omnes vero ceteras satiras [1]) post secundam litteris mandatas esse inde apertum est, quod artiorem Maecenatis et Horatii familiaritatem produnt.

Iam vero etsi ad amussim definiri nequit, quo tempore Horatius satiram secundam confecerit, tamen limites quosdam angustiores statui posse censeo. Cum enim satira sine dubio in numero primorum poetae fetuum ducenda sit in eaque Horatius multo vivacius et vehementius quam in ceteris iudi-

1) Satiram septimam quoque post secundam exaratam esse magna cum probabilitate docuit Kiesslingius.

cet, cum deinde Horatium post pugnam Philippensem Romam reversum coepisse satiris scribendis poeticam laudem parare constet, non multum a veritate puto nos aberraturos esse, si satiram intra annos 714—716 ortam esse statuamus.

Qua secunda satira Horatius cum multorum perversitates castigasset, non pauci exstiterunt adversarii, qui probro ei dabant, quod ne a mortuorum quidem vitiis castigandis atque amicorum erroribus carpendis abstinuisset. Quare in tertia satira, cum ab eodem Tigellio initium capit eiusque miros mores perpetuamque vivendi inconstantiam lepide describit, se non immerito nuper eum carpsisse ostendit atque, ut ab adversariorum conviciis se defendat, summam lenitatem in iudicandis amicorum vitiis adhibendam esse declarat. Ita apparet artissime cohaerere secundam et tertiam satiram. Cum autem eo tempore, quo tertia satira scripta est, Tigellii memoria nondum obsolevisset, verisimile est secundam et tertiam satiram non nimis inter se disiunctas esse. Quamvis igitur, quod satira certiores notas natales non fert, tempus, quo satira scripta est, certe constituere non possimus, eum tamen a scopo non aberraturum censeo qui ratus spatium haud ita magnum inter satiram secundam et tertiam intercedere anno 716 vel 717 tertiam compositam statuerit.

§ 4. Restat, ut in annum inquiramus, quo versus ille 63, in quo Maecenatis obiter mentio fit, scriptus esse videatur. Dicit enim poeta:

„Simplicior quis et est, qualem me saepe libenter
Obtulerim tibi, Maecenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat quovis sermone: 'molestus
Communi sensu plane caret' inquimus. Eheu
Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!"

Verba vero haec: „qualem me saepe libenter obtulerim tibi" Horatius non potuit scribere, priusquam in Maecenatis amicitiam receptus esset. Quamobrem hic inopinato Horatius Maecenatis mentionem faciat facile apparet. Voluit significare confirmatam iam consuetudinem et familiaritatem, etiamsi verba timiditatem quandam et incertam se gerendi proderent rationem. Cum enim Horatio magnam molestiam eorum importunitas

exhiberet, qui aliud Maecenatem et Horatium coniungere non posse vinculum censebant nisi ut hic assentatiuncula patroni gratiam aucuparetur, poeta hic consulto suam cum amico vivendi rationem libere exposuit, ut doceret se neutiquam eius favorem humilibus artibus sibi conciliasse neque se ei importune obtrusisse.

Quibus expositis haud ita multo post quam poeta in amicorum numerum a Maecenate adscitus est hunc versum esse compositum conicio.

Hic vero diligentius quaerendum videtur, quando a Vario et Vergilio Maecenati commendatus et quo tempore inter interiores eius familiares receptus sit. Ad quam rem, ne plane incerti simus, illa spectant, quae ipse Horatius narrat in satira libri secundi sexta v. 40 sqq., ubi sic est:

„Septimus octavo propior iam fugerit annus
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero . . . ."

Ut vero certo definiri possit, quo tempore haec verba scripta sint, necesse est eruamus, quando haec satira composita sit. Atque huius satirae annus natalis facile explorari potest, quod in ipsa satira aliquot indicia exstant [1]).

In versu huius satirae 53 poeta aliquem inducit rogantem „numquid de Dacis audisti?" Hac ex Dacorum mentione efficitur, ut satira scripta esse non possit ante finem anni 723, quo Daci primum Romanos armis petierunt. Daci enim, qui ab Octaviano spreti ad Antonium inclinaverant, proelio ad Actium facto tantos motus ciebant, ut Itali homines non magis classem Aegyptiacam quam incursionem Dacorum timerent [2]). Quacum ratione egregie concordat, quod in versibus 55 et 56 scriptum legimus:

1) In hac temporis ratione constituenda Kirchnerum, Quaest. Horat. p. 19 secutus sum, cuius sententiam Franke, Fast. Horat. p. 119, Teuffel in Mus. Rhen. a. 1846, p. 215, Brandes, de editione utriusque libri satirarum Horatii, Diss. Hal. 1885, ceterique omnes recentiores interpretes amplexi sunt.

2) His de rebus conf. Cass. Dio LI 22, Plut. Ant. p. 495, Hor. C. III 6, 13 sq., Verg. Georg. 2, 497.

„Quid militibus promissa Triquetra
Praedia Caesar an est Itala tellure daturus?"

Hic de alia [1]) agrorum divisione cogitari non potest nisi de ea, quae facta est post pugnam Actiacam. Nam cum Caesar et sui et Antoniani exercitus veteranos in Italiam dimisisset eisque agros praemiaque promissa nondum dedisset, hi tantam seditionem moverunt, ut Caesar desideriis legionum obsequi cogeretur. Cum vero, quo tempore Horatius hanc satiram scripsit, etiamtunc ambigeretur, utrum Caesar praedia Sicula an Itala veteranis tumultuantibus daturus esset, sequitur, ut haec satira tum scripta sit, cum Caesar militibus nondum satisfecisset, i. e. sub finem anni 723. Atque cum hoc tempore optime convenit, quod versu 38 scriptum est: „imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis." Etenim Octavianus victoriam Actiacam adeptus, dum ipse ab Italia abesset, Maecenati anulum suum signatorium una cum praefectura Italiae commiserat [2]). His, quae attulimus, argumentis satiram post pugnam Actiacam et quidem labente anno u. c. 723 esse scriptam apparet.

Definito vero tempore huius satirae facile cognosci potest, quando Horatius in Maecenatis familiaritatem receptus sit. Dicit enim poeta, ut supra exposuimus, versu 40 huius satirae, septimum octavo propiorem annum iam fugisse, ex quo Maecenas in numero suorum se habere coeperit. Septimus autem annus octavo propior cum alius esse non possit quam qui iam vergit ad exitum, ut sit proximus octavi initio, — alii falso interpretantur annum octavum prope peractum — incidimus, si septem annos prope elapsos ab anno 723 exeunte retro numeramus, in finem anni 716 aut 717 initium. Nec tamen statim Maecenas, dignos assumere valde cautus, in amicorum numerum eum recepit. Quas res poeta ipse summa colorum

1) Bentleii sententiam, qui censuit, hic de agrorum divisione agi, quae post Siculam a Pompeio reportatam victoriam et Lepidi deditionem in Campania alibique facta est, reiecit Kirchnerus in quaest Horat. p. 19. Si enim Bentleii sententiam sequeremur, Horatium confestim post pugnam Philippensem Maecenatis amicitiam adeptum esse necesse foret, id quod manifesto falsum est.

2) Cass. Dio LI 3, Plin. Nat. Hist. XXXVII 4, Tac. Ann. VI 11.

venustate depingit in satira I 6, 55, ubi primi ad Maecenatem aditus descriptionem legimus:

„Vergilius, post hunc Varius dixere, quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus,
Infans namque pudor prohibebat plura profari,
. . . . respondes, ut tuus est mos,
Pauca: abeo; et revocas nono post mense iubesque
Esse in amicorum numero."

Horatius igitur, postquam primum cum Maecenate ineunte anno 716 congressus est, inde nono demum mense revocatus et ad interiorem eius familiaritatem admissus est.

Hinc versum satirae tertiae illum 63 aut exeunte anno 716 aut primis anni 717 mensibus ortum esse apparet, cum interiorem quandam necessitudinem, sed non longiorem usum prodat.

§ 5. Quo quidem tempore firmiter constituto etiam de huius satirae aetate probabiliora dicere licebit. Fere eisdem temporibus conscriptas esse ceteras huius satirae partes probabile esse supra exposuimus. Cum igitur versus 63 nullum posterioris temporis indicium praebeat, nihil impedit, quominus statuamus aut exeunte anno 716 aut anni 717 exordio confectam esse totam satiram.

Quibus omnibus expositis apparet L. Muelleri opinionem infirmioribus niti fundamentis quam quibus fides habenda sit. Atque qui verba huius versus ipsa animo sincero necdum suspicione quadam praeoccupato inspexerit, negare non poterit ea iam in priore editione inesse potuisse. Cum hic versus neque imperfectus sit neque aliud additamenti vestigium prae se ferat, eum priori recensioni, si modo duae recensiones statuendae sunt, tribuere non veremur. Omnia hic ut in optima quaque satira inter se congruunt atque tam bene procedunt, ut hunc versum satirae iam perfectae editaeque postea adscriptum esse ab omni probabilitate abhorreat. Mihi quidem hic versus non solum ingeniose, sed etiam artificiose compositus esse videtur, quo poeta non male arrepta occasione Maecenatis, potentis fautoris et amici, mentionem facit atque aequalibus et imprimis obtrectatoribus, qui eum turpis adulationis

reum agebant, clare demonstrat, qua familiaritate cum illo coniunctus sit.

II.

§ 6. Progredimur nunc ad cetera argumenta, quae Lucianus Muellerus affert, ut Horatium duas libri satirarum prioris editiones fecisse probet. Ac contendit satiram decimam, qualem nunc quidem legimus, ex duplici recensione a poeta ipso instituta esse ortam et praebere duo retractationis indicia.

Atque primum quidem agitur de octo versibus, a quibus satira decima capit initium. In paucis enim codicibus eisque recentioribus et deterioribus satirae decimae praemissi sunt hi octo versus a scholiastis non explicati:

„Lucili, quam sis mendosus, teste Catone
Defensore tuo pervincam, qui male factos
Emendare parat versus (hoc lenius ille,
Quo melior vir et est longe subtilior isto,
Qui multum puerumst[1] loris et funibus udis
Exhortatus)[2] [3], ut esset opem qui ferre poetis
Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam illuc."

Quos versus, qui ab antiquissimis temporibus usque ad hunc diem gravissimam molestiam viris doctis exhibuerunt, censet Muellerus in priore ab ipso Horatio curata editione ex-

1) „Puerum est" pro tradito „puer et" legendum esse primus coniecit Reisigius. Quam coniecturam simplicissimam et certissimam esse iudico.

2) In multis codicibus legitur „exoratus". L. Muellerus recte adnotat hoc ex scriptura „ortari" ortum esse aut quod „puer" non apertum ad intellegendum erat. Ita enim factum est, ut permulti viri in „exhortatus" passive posito offenderent recte rati, hunc usum ab Horatiana aetate plane abhorrere, et alii alia difficultatis remedia proferrent.

3) L. Muellerus uncis appositis verba „hoc lenius ille ..... exhortatus" a reliquis secludit. Recte enim ratus omnino perspici non posse, quomodo quis puerum exhortari possit, ut antiquis poetis contra fastidia aequalium opem ferat, vir ille doctissimus verba „ut esset opem . . . doctissimus" ad Catonem refert et hac re bonum sensum exhibet.

stitisse et postea, cum liber iterum foras daretur, a poeta esse resectos.

Confiteor mihi primo obtutu hanc sententiam, quoniam revera prooemium temere agglutinatum esse videtur, neutiquam displicuisse. Sed priusquam Muellero assentiamur, videamus, quid alii viri docti de his versibus iudicaverint.

§ 7. Commentationes autem de satirae decimae exordio scriptas perlegenti perquam bene dictum illud Terentii „quot homines tot sententiae" mihi visum est, quoniam quot viri quaestionem instituerunt, tot fere proposuerunt sententias. Nam alii hoc prooemium et Horatii ingenio dignum esse censuerunt et suo loco aptum, alii inepte in principio satirae positum, sed ab Horatio tamen profectum, alii non tantum loco depellendum, verum etiam ut adulterinum a poeta Venusino abiudicandum ideoque e contextu removendum.

Atque ut primum de iis verba faciamus, qui genuinos esse versus et suo loco positos censent, primus Heusingerus[1]) hanc sententiam protulit. Quem praeter alios viros, qui rationes suas certius non pronuntiaverunt, secutus est Guilelmus Doering[2]). Qui censuit versus illos vel ab homine, qui eorum sensum et nexum non cepisset, eiectos vel casu nescio quo omissos vel equitis illius derisi causa deletos Horatio esse tribuendos, non solum quod digni essent, qui in limine satirae decimae locum obtinerent, sed etiam quod versibus his omissis vox „nempe" non haberet quo referretur. Atque ad eandem sententiam accessit Apitzius[3]), qui versus ex longissimo temporis spatio multum vexatos non amplius sollicitandos, sed octavo exempto Horatio auctori reddendos esse censuit, quod nec genus dicendi neque quidquam aliud inter-

1) Jac. Frid. Heusingerus, De versibus Horatianis, quibus eques importunus, Lucilii defensor, facete reprehenditur, causa parum manifesta ab Horatio abiudicatis, Guelferb. 1759.

2) Fr. Guil. Doeringius, Quaedam de Horatii octo versuum (sat. I 10, 1—8) integritate praeter rem in suspicionem vocata. Progr. Goth. 1822.

3) Apitzius, De aetate poematum Horatianorum a Richardo Bentleio inventa. Adiecto specimine coniectaneorum in Horatii satiras, Berol. 1833, et Coniectanea in Horatii satiras, Berol. 1856.

cederet, quominus poetae restituerentur. Post illum similibus et aliis in medium allatis argumentis nisi Urlichsius[1]) et Doederlinius[2]) versus tutati sunt et Horatio reddendos esse iudicaverunt.

Alii sunt, qui quamvis versiculos istos ad argumentum satirae decimae pertinere persuasum habeant, tamen eos falso loco insertos et alio loco ponendos esse iudicent. Quam sententiam secuti sunt Reisigius[3]) et Io. Val. Franckius[4]), ex quibus ille his versibus locum post verba „age quaeso" v. 51 assignavit, hic autem eos post v. 71 inserendos esse putavit[5]).

Alii deinde sunt, qui illos versus pertinere ad satiram decimam negent, sed ab Horatio scriptos et satirae consimilis plane argumenti exordium esse putent. Quorum in numero primum commemorandus est Heindorfius[6]), qui versus ab Horatio aut ad satiram secundi libri primam vel ad aliam satiram exordiendam factos posteaque reiectos aut in schedis eius post mortem repertos et ad principium huius satirae, quo quadrare visi essent, tralatos esse existimat copulationis causa verbis „ut redeam illuc" additis. Atque idem fere sentit van Heusdius[7]), qui versus ab Horatii decima satira plane alienos esse existimat atque a poeta antea compositos, deinde repudiatos et in commentarios reclusos, inventos autem post

1) Mus. Rhen. XI 1857, p. 602.

2) Horat. satt. ed. Doederlinius, Lips. 1860, p. 197 sqq.

3) Horat. satt. ed. Heindorfius, ed. II. Lips. 1843, p. 252.

4) Morgensternius et Franckius, Symbol. crit. in quaedam loca Platonis et Horatii. Part. II. Dorpat 1821.

5) De quibus sententiis infra accuratius agere non necessarium esse puto, et quod perspicuum est hos versus Horatio abiudicatos alio loco non ponendos esse, et quod versuum transmutationem neutiquam probandam esse censemus. Ceterum Eichstadius in supplemento dissertationis de Horatii satirae I 10 exordio (Ienae 1824) Franckii opinionem ita refutavit, ut qui hanc quaestionem denuo aggrediatur, dicta dicere coactus sit.

6) Heindorfium, qui hanc sententiam in editione sua protulit, secutus est Bothius (Ann. ad Horat. ed. Feae Heidelberg. t. II p. 33), qui eodem modo in his versibus exordium alius satirae ab Horatio non absolutae agnoscit.

7) van Heusdius, Studia critica in C. Lucilium poetam, p. 39.

poetae mortem esse suspicatur. Nec vero multum ab his discrepant Morgensternius[1]) et Frankius[2]), de quorum sententiis, quae cum Luciani Muelleri rationibus quodammodo cognatae sunt, infra accuratius iudicandum erit.

Progredimur nunc ad alteros, qui contrariam sententiam protulerunt et illud prooemium ab Horatio abiudicaverunt. Quam sententiam amplexa est maxima pars interpretum. Primus autem hoc loco, ut tempore primus fuit, prodeat Lambinus[3]), qui tam vehementer exordium hoc insectatus est, ut eum, qui hos non videret non esse Horatianos, in his litteris parum videre censeret. Atque idem sensit I. Cruquius[4]), qui versus simio cuidam Horatiano attribui vult, cum et dicendi ratio parum conveniat et argumentum satirae non in Lucilium, sed in eius fautores dirigatur. In eadem sententia fuit Bentleius, qui versus illos ne dignos quidem putavit, quos in editionem reciperet, sed tamquam manifeste absonos et suppositos alto silentio praeteriit. Ac post Bentleium permulti fuerunt, qui vel magni reveriti auctoritatem viri vel suomet sensu et iudicio ducti prooemium illud ab Horatio abiudicaverunt. Subtilissimam autem disquisitionem de his versibus ita instituit Henr. Carolus Abr. Eichstadius[5]), ut versus istos non tantum cohaerentiae sententiarum, sed ipsi etiam menti et consilio poetae adversari doceret. Atque cum eo consenserunt omnes fere, qui post eum de hoc exordio quaestionem instituerunt, Fridericus Iacobs[6]), Henr. Duentzerus[7]), C.

1) Caroli Morgensternii symbolarum criticarum in quaedam loca Platonis et Horatii part. II. Dorpat 1821.

2) Fasti Horatiani, scripsit Carolus Franke. Berol. 1839.

3) Horat. ed. Lambinus, Francof. 1577, in comment. ad sat. X lib. I.

4) Horat. ed. Cruquius, Antverp. 1611.

5) Henr. Car. Abr. Eichstadius, De Horat. sat. I 10 exordio, Ienae 1822, et Supplimentum dissertationis, Ienae 1824.

6) Fridericus Jacobs, Vermischte Schriften, vol. V Leben u. Kunst der Alten, vol. IV 1834, p. 224—263.

7) Henr. Düntzerus, Kritik und Erklärung der Satiren des Horaz, Brunsvigae 1841, p. 249.

Kirchnerus[1]), Io. Caspar Orellius[2]), Franciscus Ritterus[3]), Godofredus Stallbaumius[4]), Nipperdeius[5]). Et horum omnium virorum doctorum iudicia eo maiorem auctoritatem habent, quod fere omnes in Horatii libris examinandis omnia nobis retinenda esse sibi persuasum habent et, ut e politico hodie hominum sermone verba sumam, „dextram partem“ philologorum Horatianorum obtinent.

§ 8. Quod vero ad sententiam a Luciano Muellero prolatam attinet, alii ante eum viri docti, qui in illo prooemio offenderunt, de duplici recensione huius satirae a poeta facta cogitaverunt[6]), ut Carolus Frankius et paulo ante eum Morgensternius. Quos viros secutus putavit Lucianus Muellerus hos versus ab Horatio primo quidem initio huius satirae positos, deinde autem a poeta ipso curis secundis oppressos esse. Quibus rationibus Horatius permotus sit, ut mutato consilio hoc exordium recideret, alia ab aliis viris sunt prolata. Morgensternius Horatium petulantiae suae pertaesum, Muellerus fiducia ingenii sui auctum, alii in longitudine atque ubertate prooemii offendentem aliud exordium scripsisse autumant. Quas rationes esse meras coniecturas nemo non videt. An putas probabilem sententiam eorum esse, qui hanc satiram esse retractatam ita probare conantur, ut hoc longius exordium, quod iuvenum maxime poetarum vitium sit luxuriare in exordiis,

1) Horat. satt. ed Kirchnerus, Lipsiae 1854, vol. I p. 141, vol. II p. 324 sqq.

2) Horat. ed. Orellius, ed. VI cur. Hirschfelder, Berol. 1882.

3) Horat. ed. Ritterus, Lipsiae 1856.

4) G. Stallbaumius, Brevis recognitio iudiciorum de Horat. sat. I 10 exordio, Lipsiae 1857.

5) Nipperdeius, De locis quibusdam Horatii ex primo satirarum libro commentatio altera, Ienae 1858, p. 2—7.

6) Simili in sententia fuit I. H. Vossius, qui de his versibus in libro: Anmerkungen und Randglossen zu Griechen und Römern, p. 252 (Lipsiae 1838) ita disseruit: „Wahrscheinlich hat der bitter getadelte grammaticorum equitum doctissimus, der gewiß mit seiner Junkergelehrsamkeit, dieser mühsam ihm eingebläuten, in Rom viel zu lachen gab, für Geld und gute Worte von den Buchhändlern erhalten, daß in so vielen Abschriften als möglich der Anfang dieser Satire wegblieb. Vielleicht auch ließ Horaz selbst sich erflehen, den Eingang zu tilgen, als schon mehrere Abschriften bekannt waren.“

ab Horatio adulescentulo factum, sed a poeta aetate provecto et exculto, quippe qui sibi temperare didicisset, resectum esse opinantur? Quid? quod alii tam audaces in coniecturis faciendis sunt, ut equitem Maecenatem censeant indigne tulisse, quod Horatius alium equitem satis acerbe „grammaticorum equitum doctissimum“ appellavisset, poetamque impulisse, ut versus illos deleret?

§ 9. Age iam aggrediamur ad hos octo versus examinandos. Atque eo accuratius nobis hoc gravissimum retractationis vestigium perlustrandum est, quod, nisi hoc exstitisset, nescio an numquam retractationis suspicio orta esset.

Ac primum quidem de vetustate illorum versuum quid dicendum sit exponere opus est. Quam rationem maximi momenti esse ad nostram quaestionem diiudicandam nemo non videt. Atque in singulis verbis et in scribendi genere nihil inest, quod ab Augusti temporum consuetudine abhorrere videatur. In quo iudicio fere omnes emunctae naris critici consentiunt, qui de his versibus disputaverunt. Quin ei, qui hoc prooemium spurium esse existimant, miro quodam consensu arbitrati sunt hos versus habere colorem antiquitatis neque quicquam ab aureae aetatis latinitate et ingenio discrepans videri. Praeter Lambinum ne unus quidem exstitit, qui versus recentioris esse originis contendere auderet. Huic autem viro docto, qui censet versus habere nihil Horatiani et ante quadringentos fere annos esse compositos, vereor ne nemo astipuletur, quippe cuius sententia vel eo reprobetur, quod versus in codicibus continentur, qui terminos a viro docto constitutos magnopere excedunt.

§ 10. Sed quamqam concedo versus per se spectatos nihil vitiosi habere, tamen eis assentiri non possum, qui censent et sententiam in versibus expressam toti carmini egregie respondere et scribendi genus Horatianum spirare. Ratio qua sententiae inter se excipiunt mihi videtur esse haec: Lucilium poetam mendosum esse teste Catone ipso eius defensore evincam, qui male ab eo factos versus emendare parat, ut prodeat aliquando, qui antiquos poetas a recentiornm reprehensionibus vindicet. Qui quidem eo lenius de malis Lucilii carminibus iudi-

cat, quo vir est melior et subtilior quam ille, qui discipulos loris et funibus exhortatur. Sed ut redeam illuc:

„Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili. Quis tam Lucili fautor inepte est,
Ut non hoc fateatur?"

Hoc igitur prooemium et sequentia verba ad Lucilium spectare ideoque in consimili argumento versari apparet. Atque Horatium de Lucilio et aliis superioris aetatis poetis acerbe iudicasse et hoc iudicium ab eius aequalibus utpote veterum amore captis non satis probatum et male acceptum esse notum est. Sed quamquam permultis locis Horatius de Lucilio iudicia tulit, tamen inter viros doctos non convenit, quid ipse de illo senserit. Tantum contra inter se pugnaverunt viri docti, ut alii Horatium iuste et sine odio iudicasse, alii eum Lucilii vitia infenso animo persecutum esse censerent.

Ac quibus causis et rationibus Horatii, severi antiquorum poetarum existimatoris, iudicium nitatur, facile intellegitur. Metitur enim Horatius veterum poetarum carmina ea arte, quae tunc temporis vigebat. Nam studiis Graecarum litterarum ingenium suum excoluerat et artificiosa carminum compositione numerisque elaboratis Graecorum poetarum perspectis ea tantum laudabat, quae cum his congruerent. Ita factum est, ut rudem et parum politam formam veterum poetarum improbaret. Itaque apud Lucilium quoque multa desideravit, quae ad perfectae artis laudem necessario requirerentur. Num autem Horatius in iudicio suo eo progressus sit, ut Lucilii virtutes detrectaret eique nocendi causa iniuriam inferret, patebit, si quod Horatius cum in omnibus satiris tum in hac satira iudicium de Lucilio tulit, accurate examinaverimus.

Atque ut primum ad illam quaestionem, quid Horatius de Lucilio in universum senserit, accedamus, tria potissimum sunt vitia, quae Horatius in eo notanda ducit, primum quod versus illius duri sint et incomposito pede currant (sat. I 4, 8, I 10, 1), deinde quod lutulentus fluat et plura ferat tollenda relinquendis (sat. I 4, 11, I 10, 50), tum quod Latinis verbis Graeca miscuerit (sat. I 10, 20). Et haec quidem quin suo iure Lucilio Horatius exprobraverit, non est dubium. Sed tantum abest, ut Horatius Lucilio obtrectet, ut ipse ei laudem

debitam tribuat eiusque virtutes sine ulla invidia agnoscat. Sic manifestis verbis significat (sat. I 10, 48), se non audere illi detrahere haerentem capiti cum multa laude coronam, ibidem se minorem inventore esse dicit et se (sat. II 1, 75) infra Lucilii censum ingeniumque esse aperte profitetur. Eademque modestia usus Horatius non uno loco ingenue laudat non minus iustum et liberum eius animum, quo (sat. II 1, 69)

„Primores populi arripuit populumque tributim
Scilicet uni aequus virtuti atque eius amicis",

quam sagacitatem, qua hominum mores et perversitates observaverit et castigaverit (sat. I 4, 8), et tribuit ei laudem faceti, comis, urbani poetae (sat. I 4, 7, I 10, 3, I 10, 65). Quid? quod Horatius illa, quae in Lucilio reprehendit vitia, non ingenio poetae ascribit, sed quodammodo temporum diversitate et iniquitate excusare studet, cum de illo haec dicit (sat. I 10, 67):

„ille
Si foret hoc nostrum fato dilatus in aevum,
Detereret sibi multa, recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur, et in versu faciendo
Saepe caput scaberet, viros et roderet unguis."

Quid? quod Horatius Lucilii imprimis exemplum sibi imitandum proposuit eumque sibi maxime ducem in scribendis satiris exstitisse (sat. II 1, 28 sqq.) libere profitetur?

Atque eundem Lucilium plane mendosum esse, eundem Horatium, qui multum illius salem et ingenium agnosceret, pervincere voluisse haud facile crediderim. Hanc virulentam calumniam, qua auctor huius exordii in Lucilium invehitur, frustra quaesiveris in satiris Horatii.

Atque etiam, si quis Horatii sententiam, quam decima libri primi satira exponit, accuratius consideraverit, ei minime illud „quam sis mendosus, pervincam" apte dictum esse videbitur. Cum Horatius satira quarta in Lucilii vitia severe invectus esset, factum est, ut in eorum odium veniret, qui Lucilio favebant. Itaque satira decima, ut ab invidia adversariorum se vindicet, non modo ea, quae de Lucilio protulerat, defendit atque comprobat, verum etiam diligentius

quam antea explicare conatur, quidnam sit, quod ad carminum venustatem et elegantiam valeat. Hac de re agens cum non tam ipsum Lucilium quam potius eos, qui nimiis laudibus eum efferebant, reprehendit, urbane et prope modeste quod satira quarta de poeta illo eiusque carminibus ediderat iudicium ita confirmat, ut non modo opinionem suam magna cum lenitate exponat, sed etiam illius virtutibus laudem summam tribuat atque ea, quae ipse ei vitio vertit, Lucilium, si vivat, ipsum emendaturum et temporis rationibus aptaturum esse dicat.

A qua ratione amaritudo ista, qua auctor prooemii Lucilium insectatur, adeo discrepat, ut neque cum Horatiana venustate neque cum totius satirae argumento conveniat. Magnopere vero illud miror, tam multos viros, qui hanc discrepantiam coloris agnoscunt, tamen hos versus Horatio tribuere. Mea quidem opinione hoc exordium non potest scriptum esse ab Horatio, quod si scripsisset, sibimet ipse in sententia persequenda aperte adversari videretur.

§ 11. Ac ne cetera quidem quae sequuntur locum habere intellegemus, si cognoverimus poetam tam obnoxium aliorum iudicio non fuisse, ut ad comprobandam suam ipsius de Lucilio sententiam ad litteratorum auctoritatem confugeret. An Horatio, ceteroquin suae sibi artis et facultatis conscio, ut sese ab inimicorum vituperationibus defenderet, mentio Catonis illius opus fuit, qui Lucilii versibus emendandis operam impendit? Quid? quod Horatius eosdem grammaticos, qui veteribus poetis favebant, illudit et odium in eos effundens dicit ad horum iudicia respicere esse infra poetae dignitatem positum, ut ep. I 19, 40:

„Non ego nobilium scriptorum auditor et ultor
Grammaticas ambire tribus et pulpita dignor."

Quid? quod Horatius ipse in ipsa satira decima v. 74 dicit:

„An tua demens
Vilibus in ludis dictari carmina malis?"

Quomodo cum his eiusdem satirae verbis laus illa in prooemio Catoni grammatico tributa consociari possit, equidem non perspicio.

Quod vero Lucianus Muellerus contra hoc argumentum

adnotat Catonem magnopere idoneum fuisse qui in hac re iudicaret, postea autem Horatium maiore sui confidentia elatum hanc mentionem Catonis supervacuam putasse, fateor mihi hanc explicationem improbabilem esse videri. Equidem non capio, quomodo idem Horatius, qui in hac satira tam severus Lucilii iudex est obtrectatoresque suos acuto ungue secat quique in aliis ante hanc satiram scriptis pravos hominum mores tam libere notat, in iudicando sui iuris arbitriique adeo non fuerit, ut Catonem suae sententiae confirmandae adhiberet.

§ 12. Accedit alia quaestio, quae ad propositum nostrum aliquanti momenti est. Agitur enim, quisnam ille Cato intellegendus sit, de quo exordii auctor loquitur. Non Catonem Uticensem, ad quem nos recurrere iussit P. Duviquetius[1]), sed P. Valerium Catonem, cuius vitam enarrat Suetonius, intellegendum esse, poetam simul et grammaticum, nunc inter omnes constat. Sed permulti fuere, qui se intellegere negarent, quomodo Horatius Catonem paratum ad Lucilii male factos versus emendandos indicare posset, cum Cato illo tempore, quo Horatius hanc satiram scripsisset, vix in vivis fuisset. Ex his viris doctis princeps est nominandus Kirchnerus. Qui in adnotationibus ad satiram decimam p. 326 contendit versus illos antiquiores non modo hac satira, sed etiam Horatii aetate esse eo apparere, quod ille Valerius Cato, qui parabat Lucilii versus male factos emendare, eo tempore, quo Horatius hanc satiram pepigerit, aut non iam in vivis fuerit aut septuagenarius non potuerit Lucilii opera retractare. Ut probet Catonem illo tempore annis iam gravem vel adeo vita defunctum fuisse, affert locum Catonis ipsius, qui apud Suetonium capite 11 exstat, ubi „ingenuum se natum ait et pupillum relictum eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio".

Equidem Kirchnero non modo non astipulor, sed contra contendo Catonem ea aetate vixisse, ut tum, cum Horatius hanc satiram componeret, novam carminum Lucilianorum recensionem posset parare. Idque ex eodem illo loco colligo, ubi Cato dicit se pupillum relictum ac licentia Sullani temporis

1) Hor. ed. P. Duviquetius, Parisiis 1828.

exutum esse patrimonio. Cum enim a temporibus Sullanis ad hanc aetatem, qua priorem satirarum librum edidit Horatius, haud multo plures quam quadraginta anni elapsi sint, non multum a vero aberrabimus, si illum, qui Sullanis temporibus pupillus fuit, natum inter annos 90 et 85 illo tempore, quo Horatius hanc satiram scripsit, quinquagesimum annum egisse aut non multo maiorem fuisse statuamus. His si adiunxeris, quod Suetonius tradit vixisse Catonem ad extremam senectutem, sine negotio efficies, hunc grammaticum Horatii temporibus et in vivis fuisse et aetate non admodum provectum Lucilii opera defendere atque emendare potuisse.

§ 13. Iam in eo est, ut ad singula, quae de Catonis studiis tradita sunt, exponenda accingamur. Antiquissimum de Lucilii satiris testimonium exstat apud Suetonium de gramm. 2: „primus igitur, quantum opinamur, studium grammaticae in urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi aequalis, qui missus ad senatum ab Attalo rege inter secundum ac tertium Punicum bellum sub ipsam Ennii mortem . . . . . . assidue disseruit ac nostris exemplo fuit ad imitandum; hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc divulgata vel defunctorum amicorum vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent; ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros; ut postea Vargunteius annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat; ut Laelius Archelaus Vettiusque Philocomus Lucilii saturas familiaris sui, quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum V a l e r i u s C a t o praedicant.“

Ex hoc testimonio certe conicere licet Catonem non modo Lucilio legendo, sed etiam postero tempore huic poetae diligentius retractando operam dedisse, ut fortasse non multum a vero aberremus, si eum quando Lucilii poemata sordibus abstersis emendatiora et elegantiora aequalibus suis exhibuisse statuamus. Quod quomodo fecerit, nescimus, quandoquidem de hac re neque apud Suetonium neque usquam alibi quidquam memoriae proditum invenimus. Quin autem re vera Lucilii opera correxerit, nihil est cur dubitemus. Quendam

enim interpolatorem Horatio tales versus subdere voluisse, quorum ipsum argumentum fraudis esse indicium posset, neutiquam est credibile.

Catonem vero dignum fuisse, quem auctor horum versuum neglegentiae Lucilii testem excitaret luculentissime apparet ex Suetonii [1]) loco, ubi Bibaculus eum „summum grammaticum, optimum poetam“ et „cor Zenodoti, iecur Cratetis“ vocat. Quanta auctoritate in docenda poetica apud aequales fuerit, ostendunt haec verba Suetonii [1]): „docuit multos et nobiles, visusque est peridoneus praeceptor, maxime ad poeticam tendentibus, ut quidem apparere vel his versiculis potest:

Cato grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poetas.“

Valde mihi probabile esse videtur hunc Catonem, qui praelegens poetas ei rei operam dabat, ut, qui lectionibus ipsius fruerentur, simul poesi instituerentur, non modo adulescentes ad imitandos eos, qui legebantur, poetas excitavisse, sed etiam ipsum discipulis, ut Lucilii recte imitandi modum ostenderet, exemplo praeivisse ideoque eius opera emendavisse.

§ 14. Sed quamquam versus isti Horatii aetati non adversantur, ut eos, etsi non ab ipso Horatio, certe eo saeculo, quo Horatius vixit, scriptos esse credibile nobis videatur, quid est, quod poeta alios oblique tangat, ubi causam ipse suam agere vult? Nam non modo cum Catone, erudito grammatico, qui novam Lucilii recensionem parat, poeta in hoc prooemio disputat, sed etiam alterum hebetioris ingenii hominem, qui discipulos suos verberibus ad litterarum studium compellit, vellicat eumque harum rerum iudicandarum parum idoneum esse dicit.

Haec quomodo ab indole huius satirae non aliena putari possint, fateor me non intellegere. An Horatio hac circuitione opus fuit, ut Lucilii laudatores et suos obtrectatores redargueret, non ut alios veluti in transitu carperet? Tota enim satira resecto hoc capite in se tam plane absoluta est, ut non modo nihil desideretur, sed etiam omnia praeclare inter se cohaereant. Tali vero modo Horatium nullo habito rerum et sententiarum delectu, quidquid ipsi in mentem venisset, continuo etiam in

1) de illustr. gramm. 11.

chartas coniecisse et ea, quae in hac satira scribenda ipsi proposita essent, quodammodo neglexisse non probabile est. Sedulo contra Horatius semper illud curavit, ut unicuique sermoni principalis sententia subiecta esset, ad quam omnia atque singula tamquam solis radii ad centrum suum referrentur.

§ 15. Sed non modo exordium per se spectatum tale est, ut cum Horatii consilio nullo vinculo cohaereat, verum etiam in singulis sententiis tanta obscuritas reperitur, ut hac una de causa certum sit non coniungendos esse hos versus cum decima satira. Horatium quidem, optimum Romanorum poetam, hoc vitio laborasse et tam obscure scripsisse, ut multi homines eruditi sententiam huius exordii et singulorum versuum explicare non potuerint, non est probabile.

Ac primum, quomodo quis Catonis auxilio usus, qui, quamvis vitia Lucilii agnoscat vitiosorumque versuum emendationem paret, tamen Lucilium defendit et indulgentius de eo iudicat, pervincere possit, quam mendosus ille sit, non satis intellego. Si enim auctor huius exordii id agit, ut Lucilium mendosum esse doceat, ex communi quadam opinione hominum exspectandum est, ut poeta non tam Catone, qui lenius Lucilii versus emendabat, quam eo, qui acriter in Lucilium invehebatur, vitiosae Lucilii consuetudinis teste uteretur. Eo magis miramur, quod et Cato magnam laudem consequitur et ille in vituperationem incidit.

§ 16. Accedimus ad aliam quaestionem. Agitur, quisnam verbis „qui multum puerum est loris et funibus udis exhortatus" intellegendus sit. Equidem non haesito eis assentiri, qui haec de Orbilio, praeceptore Horatii, dicta esse censent. Quem vehementis ingenii fuisse haec Suetonii [1]) verba ostendunt: „fuit autem naturae acerbae non modo in antisophistas, quos omni in occasione laceravit, sed etiam in discipulos, ut et Horatius significat plagosum eum appellans et Domitius Marsus scribens:

Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit."

Orbilium vero Livii Andronici carmina discipulis dictasse Horatius ipse testis est in epist. II 1 69:

1) de illustr. gramm. 9.

„Non equidem insector delendave carmina Livi
Esse reor, memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare."

Unde colligi potest Orbilium antiquorum poetarum lectionem praetulisse studio poetarum aequalium eumque antiquitatis amantissimum grammaticum fuisse. Quae cum ita sint, nihil opinor est, quod impediat, quominus eum Lucilii quoque studiosum et in eius carminibus tractandis operam posuisse statuamus. Qua in re vero Orbilium, acerbum et morosum magistrum, intemperantius versatum esse a verisimilitudine non alienum esse apparet.

§ 17. Quid vero est, quod Orbilius loris et funibus udis utitur, ut discipulos ad studia litterarum capessenda cogat? Optimo iure multi interpretes negaverunt ludorum magistros segnitiam Romanorum puerorum, qui eorum disciplinae traditi sunt, talibus admonitionibus discussisse. Sortem contra discipulorum aliquanto meliorem fuisse docet ille Domitii Marsi versus, quem Suetonius servavit de illustr. gramm. 9:

„Si quos Orbilius ferula scuticaque cecidit."

Atque Orbilium, quamquam acerbae naturae erat, illa instrumenta, quibus servi castigari solebant, adhibuisse, ut studia excitaret, hoc mihi non constat. Mihi quidem videtur auctor huius exordii his verbis usus esse, ut leporem quendam affectaret. Eum consulto hanc rem verbis exasperasse, ut disciplinam saevi magistri detraheret, nemo est quin intellegat.

Quod vero nonnulli, qui haec verba Horatio tribuunt, dicunt poetam hoc loco iocose dixisse et per oxymoron lepidissimum magistri acerbitatem describere voluisse, probare non possum, et quod hoc loco iocus non exspectatur, et quod Horatium, qui ipse Orbilii discipulus fuit, fateri se loris et funibus udis exagitatum ideoque servorum modo castigatum esse non probabile est.

§ 18. Accedit alia difficultas eaque nescio an maior. Quaeritur enim, quisnam ille puer intellegendus sit, quem Orbilius hac severa disciplina educaverit. De hac re inter viros doctos nondum convenit.

Quod nonnullis in mentem venit ipsum Horatium intellegi

poetamque hic similiter de se ipso praedicare voluisse atque epist. II, 1, 70 illis verbis:

„memini quae plagosum mihi parvo
Orbilium dictare",

eorum sententiam plane a veritate abhorrere non multis opus est demonstrare.

Eodem modo Doederlinii sententiam reiciendam esse censemus, qui verbis quae sunt „illo, qui multum puer est loris et funibus udis exoratus" Horatium ipsum significari et sequentes versus „ut esset opem qui ferre poetis antiquis posset contra fastidia nostra" ad ipsum Horatium referri vult. An Horatius iam puer a magistro verberibus quasi ad doctrinae studium compulsus est, ut antiquis poetis contra carmina ab ipso futuro tempore componenda suppetias ferret, praesertim cum illa aetate Lucilii carmina ab omnibus vehementer laudarentur? Hoc vero, si quid video, ab omni probabilitate abhorret.

Alii deinde adhibito Suetonii [1]) loco: „Scribonius, Aphrodisius, Orbilii servus atque discipulus, mox a Scribonia Libonia filia, quae prior Augusti uxor fuerat, redemptus et manumissus, docuit quo Verrius tempore, cuius etiam libris de orthographia rescripsit, non sine insectatione studiorum morumque eius" concludunt hic Scribonium Aphrodisium esse intellegendum. Hanc coniecturam nullo alio alius scriptoris loco stabilitam nimis audacem esse et ego puto neminem non concedere et Teuffelius ipse, qui hanc sententiam prae aliis defendit, intellexit, cum postea ab errore recederet [2]).

Novo, sed infelici acumine Nipperdeius loci difficultatem superare studuit. Is enim ratus horum versuum auctorem, si ille esset, quem Orbilius antiquis poetis opem ferre voluisset, verba „contra fastidia nostra", ut se ipsum includeret, non scripturum fuisse censuit singularem numerum, qui certam quandam personam exprimit, ferri nequire et pro „puerum" esse scribendum „pueros", ita vero, ut proximum verbum „qui" non nominativum, sed adverbium esse diceret. Contra hanc sententiam ingenue me fateor nihil proferre posse nisi ab omni

1) de illustr. gramm. 20.
2) Mus. Rhen. XXX 1875.

probabilitate eam longissime abesse mihi quidem videri. Neque enim capio, qua de causa „puerum" mutandum sit idque in re prorsus incerta.

§ 19. Maximas autem difficultates praebent verba „grammaticorum equitum doctissimus", quippe quorum interpretatio tantis implicata sit difficultatibus, quantis vix alius ullus Horatii satirarum locus. Quinam dicti sint equites grammatici et quis ille „grammaticorum equitum doctissimus" putandus sit, dici non potest quam magna sit inter viros doctos dubitatio.

Ac quod ad priorem illam quaestionem attinet, haec mihi simplicissima esse videtur, quamquam viri docti valde discrepant. Equidem censeo verbis „grammaticorum equitum" intellegendos esse grammaticos equestris ordinis. Atque inter equites Romanos non pauci tum in bonarum litterarum studiis operam posuisse videntur, ut L. Aelius Stilo et Servius Clodius. Neutiquam vero probanda est sententia eorum, qui grammaticos ut nimium amatores ingenii sui et recondita doctrina confisos nomine equitum se dignos putavisse ideoque poetam lepida irrisione usum esse existimant. Van Heusdius grammaticos equites eos esse interpretatus est, qui causam antiquorum vatum pugnaciter tutati et in secus sentientes invecti sunt. Quam sententiam a verisimilitudine maxime abhorrere nemo non videt.

Beckerus vero censuit intellegendos esse doctos Tiberii Neronis amicos, qui eum in expeditione a. u. c. 734 in orientem suscepta comitati sunt, et illum „grammaticorum equitum doctissimum" esse Iulium Florum, qui summa inter illos comites auctoritate erat. Equidem vereor, ne is, qui hanc rationem sequitur, nusquam habeat, ubi pedem certo figat. Quo enim iure Tiberii Neronis comites prae aliis „equites grammatici" appellari potuerint, equidem non intellego et vix quisquam sano iudicio praeditus intelleget, ut de hac re nihil amplius dicendum esse putem. Quod deinde Beckerus conicit Iulium Florum hic ab Horatio „grammaticorum equitum doctissimus" esse appellatum et vellicatum, quod antiquitatis tenacissimus poeta fuisset et ab Horatii amicitia disiunctus, ne hanc quidem sententiam quemquam secuturum esse puto. Nihil enim de

Iulio Floro eiusque doctrina scimus, quo haec sententia fulciatur. Scholiasta ad Horat. epist. I 3, 20 sqq. ait: „hic Florus fuit satirarum scriptor, cuius sunt electae ex Ennio, Lucilio, Varrone saturae.“ Quomodo vero quisquam ex hoc loco concludere possit Iulium Florum veteribus poetis contra recentiores opem tulisse et Lucilii satiras sermoni captuique aequalium suorum magis adaptasse equidem non video. Quod vero Beckerus fidem huius opinionis, quae per se nullam veritatis speciem habet, ea ratione augeri putat, quod amicitiam, qua Horatius cum Floro coniunctus erat, sensim dilutam esse ex epistula secundi libri secunda colligendum esse arbitratur et Florum pariter atque Horatium in severi alicuius magistri disciplinam se tradidisse suspicatur, leviora argumenta quibus opinationem suam commendet nescio an nemo afferre possit. Tantum vero abest, ut Horatio simultas quaedam cum Floro intercesserit, ut de eo nihil omnino aliud cognitum habeamus, nisi quod eum inter Horatii familiares fuisse scimus. Quod Horatius ad eum duas epistulas, tertiam primi et secundam secundi libri, scripsit, in quibus de poeticis illius temporis studiis loquitur, facile colligemus Florum fuisse inter Horatii familiares, quos ob ingenii doctrinaeque elegantiam magni aestimabat. Equidem vero admodum dubito, num Horatius tam ingenue quae de suae aetatis scriptoribus et poetis sentiebat cum eodem Floro communicaverit, qui ex Beckeri sententia Lucilium emendavit et tam infeliciter antiquos poetas contra recentiores defendit, ut Horatius ipse eum acerbissime corriperet.

Duentzerus censet verba „grammaticorum equitum doctissimus“ esse cum irrisione quadam dicta de puero, ut sint „der Herr Ritter und Kritiker“. Quamquam haec explicatio primo aspectu habere videtur, quo se commendet, tamen non diu in ea manebimus. Nam praeterquam quod nos „puerum“, non „puer“, legendum esse persuasum habemus, doctus ille vir praetermisit, quod non „doctissimo“, sed „doctissimus“ scriptum est. Si quis autem superlativum cum pronomine „qui“ coniungendum esse dixerit, hac in re neminem non offensurum esse iudico.

Alii „grammaticorum equitum doctissimus“ ad L. Orbilium, quem paulo ante minime lenem et subtilem auctor horum

versuum dixit, referenda esse censent. Quod suam sententiam ita confirmare conantur, ut Suetonii locum qui exstat in libello de illustr. gramm. c. 9: „Orbilius Pupillus Beneventanus, morte parentum una atque eadem die inimicorum dolo interemptorum destitutus, primo apparituram magistratibus fecit; deinde in Macedonia corniculo, mox equo meruit, functusque militia studia repetit, quae iam inde a puero non leviter attigerat“ afferant et Orbilium hic a poeta lepide et iocose „grammaticorum equitum doctissimum“ appellatum esse contendant, iis assentiri non possum ea de causa, quod verba quae praecedunt „ut esset . . . . fastidia nostra“ ad puerum nullo modo referri possunt. Quae cum ita sint, nemo non videt verba „grammaticorum equitum doctissimus“ nimis remota esse, quam ut ad Orbilium spectare possint.

Sunt etiam qui Maecenatem hic taxari ideoque propter ipsum hoc caput postea resectum esse autument. Plane vero absurdum esse putare quicquam in his versibus dici, quod magis in Maecenatem quam in quemvis alium equitem conveniat, quis negabit?

Nec magis assentimur sententiae eorum, qui Decimum Laberium, mimographum illustrem, hic significatum esse censent. Qua de causa hoc statuant, non perspicio. Nihil plane est, cur colligamus hunc grammaticorum equitum doctissimum esse Laberium. An quis putabit Decimum Laberium, quem equitem Romanum fuisse constat, hic a poeta iocose equitum grammaticorum doctissimum esse appellatum, quod ille in scenam prodiit [1]), quamquam mos erat, ut, quicumque publice mimi personam gessisset, ordine equestri moveretur? Suspicor hunc temere arreptum esse ex ipsius satirae versu sexto, ubi poeta negat sibi Laberii mimos placere eisdem vitiis laborantes, propter quae Lucilii versibus venustatem adimi putat, et Lucilium cum illo his versibus in comparationem vocat:

„At idem quod sale multo
Urbem defricuit, charta laudatur eadem.
Nec tamen hoc tribuens dederim quoque cetera: nam sic
Et Laberi mimos ut pulchra poemata mirer.“

1) Macrob. Saturn. II 7: D. Laberium, asperae libertatis equitem Romanum, Caesar quingentis milibus invitavit, ut prodiret in scaenam et ipse ageret mimos quos scriptitabat.

Kirchnerus autem haec verba „grammaticorum equitum doctissimus“, cum ad illum grammaticum, qui servorum modo castigatus est, ut discipulis scientiam litterarum inculcaret, nullo modo referri posse censeat, ad neminem nisi Catonem apte revocari posse ratus est, quamvis in verborum compositione aliquid offensionis et asperitatem quandam esse concederet. Idem tamen, cum diceret incertum esse, an Cato propter paupertatem equestri ordini non adscriptus fuerit, locum nulla re nisi coniectura proposita sanari posse ratus pro „equitum“ scribendum esse „equidem“ statuit. Tam libidinose suo arbitrio agere cum tradita lectione mihi nihil aliud esse videtur nisi doctrinam in re absurda perdere. Quae coniectura quam infirmis nitatur fundamentis, nemo negabit, nisi forte aut praeiudicata opinione ductus aut nimio ardore novas res in medium proferendi abreptus futilibus inventis delectatur.

Alii, ut Hitzigius et Apitzius, eam viam ingressi sunt, ut versum illum octavum spurium et delendum esse iudicarent. Atque Apitzius hanc sententiam ita commendare studuit, ut censeret haec verba „grammaticorum equitum doctissimus“ ad Catonem accuratius describendum ab homine quodam nasuto primitus in margine annotata et postea copula „ut redeam illuc“ adsuta in ipsam satiram praepostere inculcata esse. Illum autem hominem suam doctrinam ex Suetonio petiisse, ubi Valerius Cato Bibaculo auctore „summus grammaticus optimusque poeta“ vocatus est.

Equidem illum litteratorem, qui hic „grammaticorum equitum doctissimus“ appellatur, exilio afficere nolim, sed puto haec verba ad Catonem, Lucilii defensorem, referenda esse. Et si quis accuratius inspexerit, verba ad Catonem relata, quamquam admodum remota esse et nimis claudicare videntur, optimum sensum exhibere concedet.

Catonem grammaticum magna scientia et auctoritate praeter ceteros floruisse supra satis exposui. Quod autem nonnulli opponunt Catonem iam iuvenem tam pauperem fuisse, ut equitum ordini adscribi non posset, Lucianus Muellerus contra haec argumenta adnotat aut Catonis patrem equitem fuisse aut ipsum, qui multos nobiles discipulos docebat et, priusquam in pauperiem venit, Tusculi villam habebat. Quam-

quam nobis nihil traditum est, quod hoc ipsum testetur Catonem equitem fuisse, nihil est quod impediat, quominus statuamus Catonem equestri loco natum esse. Inter grammaticos tum non pauci equites erant iique Catonis fere aequales, ut Suetonius in libello de illustr. gramm. c. 2. testatur: „instruxerunt auxeruntque ab omni parte grammaticam L. Aelius Lanuvinus generque Aelii Servius Clodius, uterque eques Romanus multique ac varii et in doctrina et in republica usus“ et deinde „posthac magis ac magis et gratia et cura artis increvit, ut ne clarissimi quidem viri abstinuerint, quominus et ipsi aliquid de ea scriberent“. Atque illa Catonis aetate, qua Graecorum artes ac litterae a principibus omnibus civitatis Romanae viris cupide amari et studiose tractari coeptae sunt, equites imprimis has avidissime arripuisse et putatos esse homines litteris instructos et artis peritos ex multis Horatii locis [1]) satis perspicue intellegitur; non uno loco Horatius equites indoctae plebeculae opponit atque iterum et iterum dicit se prae horum prudentium virorum laude imperitae multitudinis vituperationem spernere.

§ 20. Supersunt autem verba exordii postrema „ut redeam illuc“. Fere omnes, qui de hoc prooemio disputaverunt, resecuerunt haec „ut redeam illuc“ rati non ab ipso exordii auctore scripta, sed a quodam homine, ut efficeretur nexus, adsuta esse. Equidem his viris astipulor, quamquam non ignoro Horatium saepe tam abruptas transgressiones fecisse. Nam quoquo te verteris, ut sanam sententiam ex his verbis elicias, non tamen alium sensum inde extorquebis nisi eum, qui Horatii esse non possit. Quo enim referenda est haec relativa enuntiatio? Multi respondent referri ad locum de Lucilio mendoso. Sed hac ratione vereor ne dubitationes non remotae sint. Horatium enim nullo modo ad id, quod in exordio proposuerat, redire et interpositis verbis „ut redeam illuc“ sermonem ad aliud transferri atque in exordio expositum est dilucide expedivisse mihi videor. Poetam vero ineptissima illa formula usum esse, ut diversas sententias conglutinaret, mihi persuaderi non potest. Quae cum ita sint, clausulae verba „ut redeam

1) cf. sat. I 10, 76, epist. II 1, 185 A. P. 113 et 248 sqq.

illuc“ ab Horatio non profecta esse incurrit tamquam in oculos. Sed fortasse quispiam dixerit verba ad Horatii in quarta satira de Lucilio factum iudicium, non ad antecedentes versus spectare. Ille sciat se ipsum maximum argumentum attulisse unde appareat haec ipsa verba una cum toto initio ab Horatio non confecta esse. Quem octo versibus praemissis hac copula adhibita lectorem ad ea, quae in quarta satira dixerat, reducere voluisse nemini puto non improbabile erit, qui aliquem harum rerum gustum habet.

Quod vero nonnulli haec „ut redeam illuc“ ea ratione tueri conantur, ut alios locos afferant, quibus Horatius similibus formulis optime digressionem finire videatur, ut in libri I sat. I v. 108 „illuc unde abii redeo“ et in eiusdem libri sat. VII v. 9 „ad Regem redeo“ aut sat. VI 45 „ad me redeo“ aut sat. III 38 „illuc praevertamur“, hoc nihil ad nostram rem refert, quod verba non per se spectata reprehendenda sunt, sed hoc loco posita non habent quorsum commode referantur.

§ 21. Nec particula „nempe“ congruit cum hoc prooemio. Refertur „nempe“ ubique ad antecedens quid sive expressum sive cogitatione supplendum et est fere confirmantis aut explicantis. Ac si quis hunc locum accuratius inspexerit, intelleget poetam verbis „nempe incomposito dixi pede currere versus Lucili“ profiteri sese nuper dixisse Lucilii versus esse incompositos et perstare in hac sententia. Ista verba ad satiram quartam respicere viderunt iam scholiastae. Pseudacro enim: „Nempe, inquit, aut confirmantis aut interrogantis i. e. certe confiteor me dixisse, quod asperos et incompositos versus fecisset Lucilius; respondet enim his, a quibus culpatus erat, quod Lucilii versus damnasset in satira: „Eupolis atque Cratinus“, et dicit se non poetam increpasse, sed versus“. Ac Porphyrio verba sic explicat: „Respondet iis, a quibus inculpatus erat, quod Lucilii versus damnasset in ea satira, quam supra habuit, quae sic incipit: Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae.“ Tertius accedit commentator Cruquianus, apud quem haec sunt: „nempe concedentis est, quasi diceret: fateor me dixisse, quod asperos Lucilius et incompositos versus scripserit:“ Omnia igitur, quae illis verbis „ut redeam illuc“ exprimuntur, in hoc „nempe“ inesse neque

quicquam aptius et melius ab Horatio dici potuisse apparet. Quomodo vero hoc, quod ad „nempe“ supplendum est, cum sententia, quae in exordio exposita, est ita coniungi possit, ut continuatio quaedam efficiatur, equidem non intellego.

Neque in eo offendendum est, quod poeta legentes vocabulo „nempe“ in vestibulo huius satirae posito statim in medias res rapit. „Nempe“ contra solere collocari ab initio orationis atque multum venustatis in hoc praefracto exordio inesse vidit iam Lambinus, qui non modo in hac abrupta breviloquentia non haesitabat, sed etiam talia principia planis adeo integrisque anteferebat, „quod quaedam relinquantur auditori seu lectori potius subintellegenda, quae subintellegantur concinnius quam a poeta exprimerentur“. Atque Persii temporibus in satirae principio illud „nempe“ fuisse docet tertia eius satira, ubi ab eodem audaci illo et miro „nempe“ initium fit. Persium enim, cuius carmina studia redolere Horatiana inter omnes constat, ita satiram non incohaturum fuisse, nisi Horatium imitatus esset, exploratum habemus.

§ 22. Quibus omnibus expositis postremo sponte appariturum esse speramus, quid de fide et auctoritate huius exordii existimandum sit. Quos octo versus neque partem decimae satirae fuisse neque omnino ab Horatio profectos esse argumentis satis firmis comprobasse nobis videmur.

Restat, ut indagemus, quis et cuius aetatis horum versuum auctor fuerit. Quamquam enim hanc quaestionem ab instituto nostro alienam esse haud ignoro, tamen prorsus eam neglegere sine argumentationis detrimento non possum.

Atque Orellio videbantur versus „Frontonis circiter tempore, quo controversia, utrum praeferendi essent scriptores Augusti aetatem praegressi, an qui sub Augusto scripserunt, inter antiquarios et recentiorum scriptorum admiratores quam maxime agitabatur, compositi ab homine otioso, qui animi causa tentaturus erat, quo modo exordium qualecumque aptari posset sermoni utique abruptiori . . . .“ Nescio an Orellius hanc sententiam proposuerit, cum offenderet in „exhortatus“, quod passivo sensu adhibitum non ignorabat ab Horatii ingenio et aetate plane abhorrere, sed cum usu secundi p. Chr. n. saeculi bene convenire. Quod vero verbum „hortatus“ non

passive accipiendum esse satis supra exposui. Quo argumento adempto Orellii sententia nihil habet quo fulciatur. Concertationem enim illam iam Sullae temporibus exarsisse eamque paulatim Augusti aetate tam vehementem factam esse, ut duae quasi scholae exsisterent, quarum altera nihil nisi veteres Latii poetas praedicabat, altera Graecis litteris unice favens recentis poesis elegantiam cupide sectabatur, nemini opinor, qui litterarum illius temporis peritus est, ignotum erit.

Nec magis probo sententiam O. Kelleri[1]), qui versus ad scriptorem quendam refert, qui multis annis post Horatium Ausonii fere temporibus floruerit. Mihi quidem videntur illi versus aetate Catonis aut non multo post eius obitum conscripti esse, quo tempore Catonem castigandis Lucilii versibus minus elegantibus operam impendere aut impendisse, qui in liberalium artium studiis versabantur, satis sciebant.

Quod deinde ad illam quaestionem attinet, quis ille versificator fuerit, plerique viri docti, qui de hoc exordio disputaverunt, censuerunt versus a poeta aliquo ad fraudem faciendam esse compositos. Equidem his non assentior. Sed quamquam concedo causas et opportunitates Horatii, principis fidicenis lyrae Romanae, per adulterinos versus corrumpendi fuisse plures quam cuiusdam alterius poetae, tamen pernego hos versus in fraudatoris cuiusdam quasi officina fictos esse. Interpolatorem enim quendam hoc prooemium cum satira tam male copulavisse non est probabile. Quod autem multi illum satis stolidum, qui in particula „nempe“ ab initio collocata offendebat, hos versus composuisse contendunt, non intelligi potest, quomodo ille ineptus vir hos neutiquam malos versus facere potuerit. Qua in re non assentior Lambino, qui hos versus ab aliquo semidocto nebulone adiectos esse censet. Quasi vero hic doctrinam suam congestis his verbis prae se ferre voluerit! Equidem contra agnosco ex hoc exordio scriptoris aliqua humanitate imbuti venam, qui ad versus faciendos satis praeditus erat[2]).

1) Epilegomena zu Horaz, p. 504 sq.

2) Idem fere sensit Nipperdeius, qui dixit hos versus certe hominem ostendere in litteris non vulgaribus versatum.

Iisdem fortasse aut similibus argumentis usi nonnulli viri docti scriptoribus satis notis hos versus attribuerunt. Quattuor sententiae, quantum scio, de auctore huius exordii sunt prolatae: Kirchnerus Furio Bibaculo, Ritterus Orbilio Pupillo, Fr. C. Hermannus Fannio, Sengerus Remmio Palaemoni versus vindicant.

Ac Ritterum opinione labi ultro appariturum esse spero. Postquam illum asperum et ineptum hominem, „qui multum puerumst loris et funibus udis exhortatus“, Orbilium esse intellegendum exponere conati sumus, fieri non potest, ut idem auctor horum versuum fuerit.

Hermannus[1]) Fannio hos versus tribuit. Illud enim tenens hos octo versus esse exordium satirae adversus Horatium scriptae concludit auctorem esse Fannium, arrogantem illum malignumque Horatii censorem, quem satiras scripsisse Horatiani scholiastae tradiderunt. Eiusmodi rationibus merito obstupescimus. Nam praeterquam, quod hoc exordium in Horatium missum esse non potest, omnia argumenta, quae Hermannus affert, ut illum certe mediocris ingenii poetam hos versus composuisse probet, mihi tantopere quaesita esse videntur, ut de eis plura dicere nihil attineat.

Sequitur, ut quam opinionem magna cum fiducia Kirchnerus protulerit contemplemur. Qui confisus hoc exordium esse profectum ab aequali quodam et amico Catonis assignat versus Furio Bibaculo, qui consuetudine Valerii Catonis usus et ipse in Orbilium invectus sit. Et revera videtur aliquam veritatis speciem habere argumentatio Kirchneri, non inepta quidem illa per se et duobus locis accommodata, sed qua ipse supra modum abutitur. Quod Bibaculus Catonem „unicum magistrum“, „summum grammaticum“, „optimum poetam“ appellat, his verbis haud dubie tanta pietas et veneratio significatur, ut eum Catonis amicum et discipulum fuisse iure conicias. Atque cum hac ratione egregie concordare videtur, quod apud Suetonium hic Bibaculi versus exstat „Orbilius ubinam est, litterarum oblivio?“, unde Kirchnerus concludit hunc Bibaculum omnino sua in Orbilium acerbitate excellentem

1) Zeitschrift für das Gymnasialwesen 1868, p. 1—8.

fuisse. Num autem haec argumenta tantam vim habeant, ut inde colligere possimus Bibaculum esse auctorem horum ad Lucilium spectantium versuum, equidem valde dubito: cavendum est, ne plus colligas quam colligere licet. Omnem Kirchneri argumentationem ex uno Catonis nomine pendere accuratius inspicientem fugere non poterit.

Restat, ut examinemus sententiam, quam nuper Gregorius Sengerus[1]) exposuit. Qui censuit hos versus esse conscriptos a Remmio Palaemone, illo Quintiliani et Persii magistro, eumque hos versus fraudis causa scripsisse. Quam sententiam argumentis ita probare conatus est, ut hunc Palaemonem et idoneum qui hanc interpolationem faceret fuisse doceret et recentiori disciplinae pariter atque Valerium Catonem addictum esse et in equites grammaticos vehementer invectum. Quod autem Remmius Palaemon Orbilium ludibrio haberet, hac re commodissime invidiosum aequalem Probum tangere et increpare voluisse. Sed num haec omnia recte disputata sint, dubium mihi esse videtur. Quamquam Q. Remmium Palaemonem principem primi p. Chr. n. saeculi grammaticum in schola carmina Horatii praelegisse inde conicio, quod, qui apud ipsum grammaticae studuerat, Persius poeta Horatium maxime imitatus est, et ipsum Remmium etiam aemulatum esse in re metrica Horatium fortasse colligere licebit e Suetonii verbis: „scripsit vero variis nec vulgaribus metris“, tamen hanc Sengeri suspicionem nimis audacem esse opinor, quod neque probabile est Palaemonem versus fraudis causa composuisse neque apparet hic tecte Probum carptum esse.

Diversis igitur criticorum de auctore horum versuum iudiciis examinatis apparet nulli adhuc contigisse, ut demonstraret, quisnam hoc exordium confecerit. Et equidem fateor me frustra conatum esse nodum solvere. Obscurum adhuc est semperque opinor obscurum manebit, quisnam scriptor horum versuum fuerit.

§ 23. Sed tamen non nihil scimus. Hos versus ab aliquo Catonis aequali, qui pariter atque Horatius durae illi et rudi

1) Kommentar zu einigen streitigen Horazstellen, Warschau 1895.

veterum poetarum imprimisque Lucilii scribendi rationi infestus erat, conscriptos, sed non ad hanc ipsam Horatii satiram amplificandam et adulterandam hic positos esse ex eis, quae supra exposui, elucet. Quibus constitutis sequitur, ut versus ab alio homine aliunde huc translati sint. Suspicor hanc interpolationem esse ortam in scholis grammaticorum veterum ex eis, quae Horatio legendo applicatae fuerunt, artis poeticae exercitationibus. His in scholis hi versus non mala fraude inculcati, sed a magistro ex longiore carmine a poeta Horatii fere aequali composito desumpti et illustrandi vel comparandi causa discipulis propositi, primo in margine adscripti sunt, deinde sensim, ut fit, in ipsam satiram per imprudentiam librariorum irrepserunt et Horatianis interspersi tandem pro Horatianis venditi et aestimati sunt. Multa huius generis exempla exstant, quibus librarios de proprio poetae consilio aut universa carminis cuiusdam indole parum sollicitos versus, qui eis artiorem quandam cognationem cum argumento carminis habere videbantur, sine ulla ratione in carmen recepisse et in exemplaria transscripsisse apparet. Itaque etiam factum est, ut hoc prooemium non in omnes Horatii codices transierit, sed in aliis exstet, in aliis omissum sit. Verba autem „ut redeam illuc“ censeo esse interposita a quodam homine, ut prooemium cum satira consarcinaretur; neque tamen magnopere refragabor, si quis Nipperdeium secutus haec quoque verba auctori octo versuum attribuet illumque hac formula usum post digressionem ad rem propositam rediisse opinabitur.

Quibus omnibus expositis apparet sententiam L. Muelleri, qui totum locum ab Horatio scriptum, sed in altera editione reiectum arbitratur, reprobandam esse.

III.

§ 24. Quo firmissimo everso secundarum curarum fundamento tertium L. Muelleri argumentum, quale sit, examinemus. Ac doctus ille vir censet versus 81—90 eiusdem satirae, quibus Horatius splendidam fautorum coronam enumerat, in secunda demum recensione esse insertos. Quam sententiam ita confirmare studet, ut dicat eodem modo, quo Horatius

versus illos, quibus Catonis mentionem fecerat, postea reciderit, poetam secunda facta recensione versus 81—90 adiecisse, ut ostenderet poemata sua a viris et animi candore conspicuis et artium litterarumque scientia praestantissimis probari. Horatium enim annis 38 usque ad 36, quibus rerum civilium facies erat tristissima, alios amicos atque eos, qui necessitudine cum Maecenate coniuncti erant, sibi asciscere non potuisse et annis demum 35—32, quibus arma togae cesserunt, novis amicitiis indulsisse.

Fateor mihi hanc argumentationem nimis incertam esse videri. Nihil est, quod nos putare vetet Horatium eodem tempore, quo ceteras satirae partes scripsit, in horum fautorum et amicorum existimationem et familiaritatem venisse. Equidem omnino non intellego, quare illi versus non eodem iure quo ceteri huius satirae versus in primae recensionis contextu locum habuerint. An non perspicuum est Horatium, ut ab adversariorum importunitate se defenderet, auctoritatem illorum nobilium virorum adhibuisse, quorum gratiam sibi conciliaverat? Nonne licuit ut inimicos et obtrectatores, ita amicos et patronos producere?

Horatium quidem in multorum inimicitiam et malevolentiam incurrisse inter omnes constat. Acerbitas enim carminum et aucta in dies Maecenatis aliorumque civitatis principum virorum gratia non poterant, quin multorum ei odium afferrent et invidiam commoverent. Alii enim, qui ab Horatio se notatos videbant, eum ut morum magistrum oderant et contumeliosum poetam iudicabant; alii ei felicitatem illam, qua in magnorum viorum favorem se insinuaverat, praesertim cum ipsi quoque operam arti poeticae navarent in eaque sibi aliquid valere viderentur, invidebant et maiorum ignobilitatem et ambitionem exprobrabant; alii, qui partes antiquorum poetarum sequebantur, moleste ferebant severum eius de poetis vetustioribus imprimisque de Lucilio iudicium adversabanturque recentioris disciplinae studiis, quibus Horatius una cum Vario, Vergilio, aliis deditus erat.

Omnium horum inimicorum iudicii iniquitatem Horatium multa cum vehementia reprobasse notum est. Imprimis vero eorum adversariorum obtrectatione, qui nihil nisi veteres Latii

poetas praedicabant recentiorumque poetarum opera minoris ducebant, Horatium, qui novae scholae clarissimus erat poeta, magnopere exacerbatum fuisse ex rei ipsa natura elucet. De his inscitis pariter atque iniustis indignatus iudiciis scripsit Horatius quartam satiram, in qua istis calumniatoribus, quidquid in Lucilio vitiosum et reprehensioni obnoxium esse putabat, ante oculos proponebat suorumque carminum rationem et consilium exponebat.

Iam cum sive suapte ductus voluntate sive amicorum monitionibus impulsus constituisset quas adhuc composuerat et per satis longum temporis spatium in scriniis presserat satiras in unum volumen collectas publici iuris facere, sui defendendi causa decimam satiram confecit. Haec satira ut est ultima omnium satirarum priori libro quasi epilogus addita, ita dici haberique potest liberrima apologia studiorum poeticorum, in quae adhuc incubuerat. Itaque hac in satira, non quo meritae veterum poetarum laudi quidquam detrahat, sed ut cultius suum iudicium ab obtrectatorum reprehensionibus defendat, Horatius istis iudicibus, qui Lucilii virtutes praeter modum extollebant, summatim respondet eosque ob nimium vetustatis studium acerbe exagitat. Nihil se moveri ait istorum hominum iudiciis et vellicationibus; vulgi malignas cavillationes se ne flocci quidem habere neque sua magni interesse populi laudes sibi vindicare. Ut multorum imperitorum invidiam et odium, ita se optimi cuiusque existimationem et favorem sibi conciliavisse et horum prudentium laudem ineptae multitudinis vituperationi longe praeferre. Atque ut ostendat magnos et in civitate potentes homines iisdem atque se legibus poemata iudicare et a suis partibus stare simulque ut aequalium in aestimandis poetis stuporem eorundemque in contemnendis ipsius satiris iniquitatem et stultitiam tecte perstringat, Horatius versu 81 ita inflectit sermonem, ut ad viros nobiles et idoneos carminum iudices transeat doctosque fautores et amicos producat. Si poemata sua a viris humanitate politis, ut Plotio, Vario, Maecenate, Vergilio, Valgio, Octavio, Fusco, Viscis probentur, impense se gavisurum esse profitetur et operam tantum daturum, ut sua carmina amicis Pollioni, Messalae, Bibulo, Servio, Furno arrideant. Quorum nobilium

et studiorum elegantium laude conspicuorum virorum applausum si consecutus fuerit, satis superque sibi satisfactum esse.

Quem sententiarum conexum postquam accuratius consideravimus, apparet hos versus cum ceteris satis arte cohaerere, ut uno tenore scripti esse possint. Nihil contra aptius, ut poesin suam tueretur, mea quidem sententia Horatius facere potuit, quam ut virorum clarorum, qui ipsius opera probarent, nomina produceret.

Suspicor L. Muellerum, ut suam sententiam proponeret, commotum esse ea de re, quod Horatius in extremo iterum ad malevolos carminum suorum obtrectatores redit. Quamquam in hac re minime offendendum est. Quis est quin ignoret Horatii egregiam inveniendi exitus artem, qua satiris et epistulis inexspectato quodam ioco finem saepe imponit legentiumque animos grata afficit hilaritate! Et sane quibus votis Horatius hic omne acerbitatis virus evomens nobile par fratrum Demetrium et Tigellium prosequitur, cum epilogi natura optime congruit. Cum igitur poeta praecendentibus versibus amicos enumeraverit eorumque in gratia sese libenter acquiescere dixerit, faceto utique et lepido more orationem praecidens obtrectatores iubet abire in malam rem et hortatur puerum, ut „haec“ i. e. hanc valedictionem, ut ita dicam, libello cito subscribat, ut adversarii cognoscant, quam non moveatur eorum clamore.

Nihil igitur est, cur versus 81—90, qui neque ipsi difficultatem ullam praebent nec male turbare conexum sententiarum videntur, in editione priore omissos et a retractante poeta additos esse suspicemur. Immo, cum de amicis et fautoribus Horatius in hac satira omnino non dixerit, vel eo non nihil effici crediderim contra retractationis suspicionem, quod versibus illis omissis miraremur Horatium amicorum mentionem non fecisse. Neque vero quidquam ad secundarum curarum opinionem stabiliendam eo affertur, quod versus 81—80 L. Muellero ad sententiam complendam non necessarii esse videntur. Quid? si omnes digressiones, quas Horatius ut exornaret carmina consulto ac prudenter inseruit, propterea quod facile eas omittere poterat, secundis curis additas esse suspicemur! Si quae ad carminis huius vel illius consilium necessaria non sunt, aut recidere aut altera recensione illata esse opinari velis, facile digressiones persaepe potes exstinguere sine ullo quidem sententiarum detrimento, sed non sine magno poematis damno, cuius bona pars venustatis in episodiis posita est. Poetam autem post hanc interiectam digressionem neque inepte neque temere additis versibus 91 et 92 ad inimicos recurrere finem simul huic satirae impositurum, ipsum Muellerum quoque concedere arbitror.

§ 25. Atque haec quidem hactenus. Reliquum est, ut summam faciamus eorum, quae uberius exposuimus. Videmur autem nobis argumentis probabilibus demonstrasse, neque tertiae satirae inesse neque decimae primi libri, quae a primigenia forma satirarum abhorreant et retractationis demum occasione inserta sint, immo illa, quae L. Muellerus tractat, aut numquam coniuncta fuisse cum Horatianis carminibus aut statim ab initio fuisse coniuncta. Quod si recte ita iudicamus, multum lucramur: nam omnes de temporibus inquisitiones vanae essent, si illa Luciani Muelleri sententia staret. Multis enim locis dubitaremus, de quo tempore cogitandum esset. Has dubitationes remotas esse confido.

Vita.

Natus sum Fridericus Henricus Maximilianus Mueller a. d. XI. Kal. August. anni MDCCCLXXV Servestae, in urbe ducatus Anhaltini, patre Friderico, matre Emilia e gente Kula, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis litterarum elementis imbutus anno 1885 adire institui gymnasium urbis nostrae, quod appellatur Franciseeum, cuius cum multi et boni praeceptores tum illustrissimus rector Theophilus Stier summum mihi amorem excitaverunt discendi atque docendi litteras antiquas et historicas. Maturitatis testimonium vere anni 1894 adeptus, ut studiis maxime philologicis et historicis me darem, Heidelbergam me contuli, ubi civibus universitatis Ruperto-Carolae rite adscriptus sum. Hic per unum semestre docuerunt me viri doctissimi Brandt, Erdmannsdörffer, Koch, Rohde, Thode, Uhlig, Wunderlich. Tum in litterarum universitate Halensi per tria semestria commoratus audivi vv. cll. Brode, Burdach, Diehl, Dittenberger, Droysen, Haym, Ihm, Maurenbrecher, Meier, Ed. Meyer, Schultze, Stammler, Strauch, Wissowa. Deinde me contuli Gottingam, ubi per bis sex menses scholis vv. cll. Heyne, Kehr, Krauske, Lehmann, Leo, Roethe, Schulten, Schulze, v. Wilamowitz interfui. Denique Ienam petivi maxime his viris doctissimis usus magistris: Dinger, Ehrhardt, Eucken, Gelzer, Goetz, Hilgenfeld, Hirzel, Lorenz,

St. Stoy. Proseminarii philologici sodalis per tres, seminarii per quattuor semestria quod fui, eximiae debeo humanitati vv. cll. Brandt, Gelzer, Goetz, Hirzel, Leo, v. Wilamowitz, Wissowa. Per quinquies sex menses seminarii historici exercitationibus, quas Krauske, Lorenz, Stoy moderabantur, interfui.

Quibus omnibus viris nec minus illis, qui antea in gymnasio litteris me instituerunt, gratias ago quam maximas semperque gratiam habebo.


COLUMBIA UNIVERSITY
0032186932

